



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vom Ablasz vnd Jubeljar Orthodoxischer vnd
Summarischer Bericht: Jn welchem nicht allein auß H.
Göttlicher der H. Vätter vnd Kirchenlehrer Schrifften/
auch allgemeinen Concilien vnd andern vil mehr ...**

Förner, Friedrich

Getruckt zu Jngolstatt

VD16 F 1898

Sanctissimi Domini Nostri Clementis Divina Providentia Papæ VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36277



SANCTISSIMI
DOMINI NOSTRI CLE-
MENTIS DIVINA PRO-
VIDENTIA PAPÆ
VIII.

Indictio sancti Iubilei piè Visitantibus Basilicas beatorum Petri & Pauli, nec non Ecclesias sancti Iohannis Lateranensis, & Beatæ Mariæ Maioris de vrbe, proximo Anno Millesimo, Sexcentesimo.

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum DEI, vniuersis Christi fidelibus, presentes Literas inspecturis, salutem & Apostolicam Benedictionem.



ANNVS DOMINI placibilis, annus remissionis & veniæ, filij in Christo dilectissimi, iam Dei munere appropinquat, iam tempus acceptabile, & dies æternæ salutis adueniunt, ad redimenda peccata, ad saluandas animas.

Annus Christiano populo in primis optabilis & iucundus sanctissimi Iubilei iam prope adest, qui à salutifero partu Beatæ Dei genitricis, & semper Virginis Mariæ sexcentismus supra millesimum numeratur, tanto maiori fidelium gaudio & frequentia in alma hac vrbe de more celebrandus, quanto expressius, atque efficacius suam primariam originem repræsentat. Nam quemadmodum veteri traditione, & maiorū monumentis testatum est antiquissimo Romanæ Ecclesiæ instituto, per decurrentes sæculorum ætates, hoc est, singulis centenis annis à Christi Domini & Saluatoris nostri natali, amplissimæ peccatorum Indulgentiæ, & remissiones propositæ erant iis, qui sacra Beatorum Apostorū limina piè ac deuotè visitarent.

Quam

Quam sanè vetustam institutionem Anni centesimi non vana gentilium superstitione, sed religioso cultu, & Christianorum concursu Romæ celebrandi FEL. REC. BONIFACIUS PAPA VIII. PRÆDECESSOR NOSTER suo Apostolico decreto, ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum confirmavit. Ac licet alij SUMMI PONTIFICES, PRÆDECESSORES item nostri, qui postea sunt consecuti, intra angustiores Annorum limites, propter vitæ humanæ breuitatem, Iubilei celebrandi spatium contraxerint, ipsa tamen centenarij celebratio ob antiquæ traditionis primordia in primis insignis non immeritò existimatur. Et reuera diuino consilio factum videtur, vt postremo cuiusuis sæculi anno, quod longissimum etiam humanæ vitæ spacium censetur, in ipsa arce & domicilio Christianæ Religionis, tanti beneficij memoria à cunctis fidelibus recolatur; quod scilicet ad homines omnes illuminandos Sol iustitiæ Christus Deus noster, qui humano generi salutem attulit, ex utero Virginis egressus est; ex eo etiam, quod Christiani vniuersi ad Petri Sedem, & ad fidei Petram, tanquam filij ad patrem, & oues ad Pastorem summum simul confluunt, tanto magis vnius Ouilis, & vnius Pastoris vnitas appareat, & vnius fidei splendor latius elucescat, quæ nullo sæculorum decursu, nulla temporum varietate immutata est, sed semper eadem, à fidelibus populis incorrupta, atque inuiolata professione retinetur, membra quoque cum suo visibili capite, tanto arctius charitatis glutino connexa, mundus agnoscat; & denique idem ille spiritus vnitatis, quo sola Ecclesia Catholica, eiusq; corpus admirabiliter compactum & coagmentatum est, tantò illustrius declaretur, dum veluti ab vniuersitate populi Christiani, in ipsa vnitatis parente Romana Ecclesia, statis temporibus Annus vnus sanctus, iure optimo, nominatus, summa religione, ritusq; solemniter celebratur. Hunc autem annum verè sanctum, Annum Domini acceptum & placabilem, quo homines penitentiam agerent, & ad Deum & Patrem misericordiarum, in corde perfecto conuerterentur, primus mundo annunciauit ipse, vitæ & salutis nostræ Auctor IESVS CHRISTVS FILIUS DEI, quem pater vnxit Spiritu sancto, & omni super eum gratiæ plenitudine effusa, misit illum euangelizare pauperibus & mansuetis, mederi & sanare contritos corde; prædicare captiuis Indulgentiam & remissionem, clausis apertionem, & cæcis visum. Et nos etiam, qui licet humiles & indigni, vices tamen Christi Domini in terris ipso ita disponente gerimus & tenemus, ex hac sublimi Apostolicæ vigiliæ specula vobis vniuersis Christi fidelibus annunciamus, indicimus, & euangelizamus, hunc eundem Annum Iubilei veræ penitentiae, & spiritualis lætitiæ. Et quia charitas Christi, pro qua, legatione fungimur, ad omnes gentes, vrget nos, & zelus salutis animarum comedit cor nostrum, hortamur, & obsecramus o-

mnes per asperionem sanguinis IESU CHRISTI, per aduentum eius, & diem tremendi Iudicij, vt sacro potissimum Iubilei tempore conuertatur vnusquisque à via sua mala, & reuertatur ad Dominum in corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: quia clemens & misericors est Deus noster, & multæ miserationis & præstabilis super malitia. Dum verò ex nostro pastoralis officij munere charissimos in Christo filios nostros, Imperatorem electum, Reges & Principes Catholicos, & omnes Christi fideles, toto terrarum orbe, in remotissimis etiam Prouincijs, & Regionibus commorantes ad Iubilei huius sanctam & iucundissimam in Domino celebritatem summo cum gaudio vocamus, atq; inuitamus, eodem planè tempore acerbissimi doloris sensu vehemētissimè commouemur, mente atque animo recogitantes, quam multæ nationes & populi seipfos miserabiliter absciderint ab vnitatis & communionis Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, qui proximo superiori centenario in ipsa vna Catholica & Apostolica Ecclesia Romana nobiscum vnanimis, & cum consensu in domo Domini ambulantes sanctum illius Iubilei Annū multa cum lætitia & spiritali exultatione celebrarunt, pro quorum æterna animarum salute, vitam nostram, ac sanguinem, si opus esset, libentissimè effunderemus. At vos interea filij obedientes & Catholici, à Deo & à nobis benedicti, venite, ascendite ad locum, quem elegit Dominus, ad spiritualem Sion, & Hierusalem sanctam, non litera sed spiritu, vnde ab exordio nascentis Ecclesiæ, lex Domini, & lux Euāgelicæ veritatis, in omnes gentes & nationes deriuata est. Hæc est illa felix ciuitas, cuius fides Apostolico ore laudata annūciatur in vniuerso mundo, cui ipsi Beatissimi Apostolorum Principes, Petrus & Paulus totam doctrinam cum sanguine profuderunt, vt per sacram Beati Petri Sedem caput orbis terræ effecta, Mater esset cunctorum credentium, & Magistra omnium Ecclesiarum. Hic fidei petra, hic fons sacerdotalis vnitatis, hic incorruptæ veritatis doctrinæ, clauis Regni cælorum, & summa ligandi atq; soluendi potestas, hic deniq; thesaurus ille Ecclesiæ, inexhaustusq; sacrarum Indulgentiarum, cuius custos & dispensator est Romanus Pontifex, qui eas omni quidem tempore distribuit, prout salubriter in Domino intelligit expedire, sed Anno potissimum S. Iubilei pia & larga profundit manu, quando & portæ sanctæ in antiquissimis & religiosissimis huius almæ vrbs Basilicis & Ecclesijs aperiuntur, more solemnium & fideles à peccatorum labe expurgati, intrant in conspectum Domini iu exultatione, vt non iam ex veteris legis instituto, quæ vmbra tantum habebat futurorum bonorum, neq; ex Hebræorum consuetudine, quibus omnia contingebant, in figura, aut serui humanæ seruitutis iugo constricti, liberi euadant, aut in carceribus vincti dimittantur, aut graui ære alieno oppressi liberentur, quin etiam ad paterno-

rum bonorum possessionem redeant; terrena enim hæc, sunt fluxa & caduca; sed fructus Anni sancti & spiritualis nostri Iubilei illi sunt vberissimi, quod animæ Christi sanguine redemptæ è iugo ferreo diabolica tyrannidis, atque ex tetro carcere & vinculis peccatorum, diuina Sacramentorum efficacia absoluuntur, & dimissis delictis ac pœnis in adoptionem filiorum Dei, atq; cælestis Regni hæreditatem, paradisi possessionem admittuntur, & ad alia quam plurima Dei beneficia accipiunt. Nos igitur *SVM MORVM PONTIFICVM PRAEDECESSORVM NOSTRORVM* vestigiis inhærentes, & eorum pium ac saluberrimum institutum retinentes, de venerabiliu Fratrum nostrorum *S. R. E. CARDINALIYM* assensu Iubilei celebrationem in Annum proximum Millesimum sexcentessimum à primis Vesperis vigiliæ Natiuitatis Domini nostri *IESV CHRISTI*, eiusdem anni Millesimi Sexcentessimi inchoandâ, & per totum annum ipsum finiendam, auctoritate Dei Omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, quanto maximo possumus animi nostri gaudio, ad ipsius Dei gloriam, & Catholicæ Ecclesiæ exaltationem indicimus & promulgamus. Quo ipso Iubilei anno durante omnibus vtriusque Sextus Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Basilicas, & sancti Iohannis Lateranensis, ac sanctæ Mariæ Maioris de vrbe Ecclesias, semel saltem in die per triginta continuos aut intermissos dies, si Romani, vel incolæ vrbis fuerint; seu per quindecim dies, si fuerint Peregrini, aut alias externi, deuotè visitauerint, & pro ipsorum fidelium, ac totius Christiani populi salute, pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem ac veniam misericorditer in Domino concedimus, & impartimur. Et quoniam euenire potest, vt ex iis, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam ipsa in vrbe morbo, vel alia legitima causa impediti, aut morte præuenti; præfinitoq; dierum numero non completo, ac ne quidem fortasse inchoato, præmissa, & dictas vrbes Basilicas, & Ecclesias obire nequeant; nos piæ promptæq; illorum voluntati, quantum in Domino possumus, benignè fauere cupientes, eosdem verè pœnitentes & confessos prædictæ Indulgentiæ, & remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas vrbes Basilicas & Ecclesias diebus à nobis præscriptis re ipsa visitassent. Vos autem venerabiles Fratres nostri, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi in partem sollicitudinis nostræ vocati, Duces & Pastores Populorum, lux mundi, & sal terræ, capite tubas argenteas, quarum vsus est in Iubileo, id est, adhibete prædicationem verbi Dei, & annunciate populis hoc gaudium, vt sanctificentur, & iuuante gratia, parati sint ad ea cælestia dona capienda, quæ bonorum omnium largitor Deus, filiis dilectionis suæ, per ministerium

nisterium humilitatis nostrę præparauit; adducite fratres verbo, & exemplo paruulos, ad huius charissimę matris vbera, quę eos per Euangelium in Christo genuit, adducite filios ad patrem, oues ad pastorem summum, membra ad caput, fideles ad fidei petram, in quam omnis ædificatio Catholicę Ecclesię constructa consurgit, adducite populum ad sanctam Romanam Ecclesiam, & ad gloriosos Principes terrę Petrum & Paulum, qui vniuersum mundum legem Domini docuerunt, & quorum fides, dignitas, & autoritas, indigno etiam in hærede non deficit. Ad sacras igitur Indulgentias, earumq; salutare fructus ipso Iubilei Anno Romę percipiendos, vocate cæcum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, docete oues fidei vestrę creditas, quia aduenæ & peregrini sumus in hac vita, & ciuitatem hęc permanentem non habemus, sed futuram inquirimus. Ideo quia breues dies sunt huius nostrę ærumnosę peregrinationis, & nescimus, qua hora Paterfamilias & Sponsus Christus venturus sit; idcirco vigilent, & lampades arden-tes, & plenas oleo charitatis & misericordię gestent in manibus, & festinent ingredi in illam requiē. Nam si vnquam alias nunc potissimum irę, rixę, & contentiones, & inueterata odia dimittenda propter Christum, nunc maximē seruos decet misereri conseruorū suorum, vt **DOMINVS CLEMENTISSIMVS** omne debitum dimittat eis. Nunc præcipuē omnes carnis impuritates abluendę, vt templum Dei mundum fit, vnusquisq; vas suum possideat in honore, in sanctificatione, portet Deum in corpore suo. Postremò furta, rapinę, homicidia & adulteria, & omnia peccata exterminanda, vt placeat ira Dei, & eos, qui Christiano nomine gloriatur, agnoscat verē Christianos, & imitatores Christi, & sectatores bonorum operum. Docete autem eos, quemadmodum ad salutare Indulgentias consequendas, in animo contrito, & in spiritu humilitatis, assiduis orationibus & ieiuniis, ceterisq; pietatis operibus seipos præparare & exercere debeant, & qui substantiam huius mundi habent, aperiant viscera sua, & fratrum suorum, & pauperum inopiam subleuent, præcipuē verò erga peregrinos Romam venientes misericordes sint, & sanctam hospitalitatem Deo gratissimam, & quam vetustissimi illi Christiani, etiam inter persecutionum fluctus diligentissimē coluerunt, ipsi quoq; multa cum hilaritate spiritus renouent, atque obseruent. Admonete etiam eos, vt orent pro Regibus & Principibus Christianis, vt quietam & tranquillā vitam agamus, & pax & concordia conseruetur. Postremò docete illos, cum sanctam peregrinationem susceperint, qua modestia, qua deuotione, qua fraternę pacis obseruantia lucere eos oporteat, vt sint Christi bonus odor, in omni loco. Præbete autem vos ipsos Fratres venerabiles, & omnem Clerum, exemplum in primis bonorum operum, & formam gregis, vt vestrę vir-

tutis & religionis veluti sale, cæteri condiantur, & omnè peccati putredinem abhorreant, & denique omnes vnanimè in vno spiritu Christianæ charitatis, atq; in omni sanctitate, & iustitia Deo seruiamus. Hortamur quoq; & rogamus in Domino carissimos in Christo filios nostros, Imperatorè electum, ac Reges & Principes, omnes Catholicos, vt quò plura & magis illustria beneficia ab eo, per quem Reges regnant, acceperunt, tantò ardentius, vt par est, ad Dei gloriam procurandam pio zelo excitentur, præcipuè verò Fratrum nostrorum EPISCOPORVM, & SUPERIORVM ANTISTITVM pastoralem sedulitatem & vigilantiam adiuuent, & à suis Magistratibus, & Ministris adiuuari mandent, vt improborum licentia coërceatur, & bonorum studia eorum Regia ope, & gratia foueantur, maximè autem erga peregrinos beneficentiam & liberalitatem exercent, curentque, vt tutis incedant itineribus, & nulla hominum perditorum vexatione perturbentur, sed hospitalibus domibus & publicis hospitiiis amanter excepti, & comœtu, & rebus ad vitam necessariis recreati, sine vlla concussione & iniuria, institutù iter læti peragant, & cum gaudio in patriam reuertantur. His enim hostiis, Reges potissimùm & Principes Deum sibi placabilem reddent, vt diu in terris felices viuant, & demum in æterna tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerunt, in quibus Christus pascitur & nutritur. Vt verò præsentès literæ, ad omniù fidelium, in quibuscunq; locis existent, notitiã faciliùs perueniant, volumus earum exemplis etiã impressis, manu Notarij Publici subscriptis ac personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ Sigillo munitis, eandè prorsus fidem haberi, quæ haberetur ipsis presentib; si exhibite forent & ostensæ. Nulli ergo omnino hominù liceat hanc paginam nostræ indictionis, promulgationis, concessionis, impartitionis, hortationis, rogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationè omnipotentis Dei ac BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incurfurum: Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingétesimo Nongésimo Nono, XIV. Cal. Iunij Pon. nostri Anno octauo. B. Dat.

REGISTRATA APVD MARCELLVM. MARCELLVS

Vestrius Barbianus A. de Alexiis.

ANNO à Natiuitate D. N. IESV CHRISTI, Millesimo, Quingétesimo, Nongésimo nono, Indictione XII. die verò Venerù, XXI. Mensis Mag. Pontificatus sanctiss. in Christo Patrù, & D. N. D. CLEMENTIS PAPAE VIII. Anno eius VIII. retrospectæ Literæ affixæ etiã & publicatæ fuerunt, in Valu Basilicarù SS. Petri & Pauli Principù Apostolorù ac Ecclesiarù S. Ioan. Lateran. ac B. Mariæ Maiorù de Vrbe, nec non Cancellariù Apostol. & aciei Campi. Floræ, demissu copis in iisdem locis impressù, vt morù est, per nos Ioan. Baptistam Bagni & Catherinum Menandi Apost. Curso.

Dominicus Gugnetus Mag. Curs.

Romæ apud Impressores Camerales. M. D. XCIX.